



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

Cap. XXXIII. De Legato Sedis Apostolicae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

*Hermannus de Saltza IV. Mag. Generalis, Ord. Teut.  
Poppo de Osterna II. Magister Provincialis in Prussia.*

Sventopelcus, qui nihil horum Polonis debebat, in Conventu Glanſaviensi Leſcum occidit, ubi etiam Henricus Dux Wratislaviensis vulneratur. Interea Cruciferi Prussiam intrant, quibus Sventopelcus contra veteres Prussos, ut jam dictum est, suppetias fert: Posthæc Henricus vulneris accepti memor, assumpto in societatem Belli Conrado Masoviæ Duce, Sventopelci provinciam infestat, arcemque Birgast. quæ hodie à Polonis dicitur Bidgo Sc, occupat. Sventopelcus injuriam hanc ulturus Masoviam ferro & igni vastat, hocque ipso Polonorum arma in se concitat. Hic Polonis Cruciferi se conjungunt & Sventopelci animum contra se exacerbant. Vid. Micræel. *lib. II. Chron. Pomeran. cap. 92. & seqq.* Sed ut jam alia alibi trutinanda præteream, de suppetiis Cruciferorum Poloniæ Principi contra Sventopelcum latis nihil legimus in Polonicis vel Prussicis Scriptoribus. Neque verisimile est Cruciferos tum temporis potuisse Polonis suppetias ferre, cum ipsis bella Prussica satis negotii faceſſerent. Micrælius etiam non probat suam sententiam ex ullo antiquiorum, merito igitur nobis videtur esse suspecta, & ex nimio Principum suorum amore profecta.

CAP. XXXIII.

*De*

*Legato Sedis Apostolicæ.*

**H**OC tempore fuit Innocentius Papa IV. qui Pontificatus sui Anno primo, Anno scilicet Domini (a) MCCXLIII. intelligens ex clamorosa insinuatione Fratris Hermanni de Saltza generalis Magistri Ordinis domus Teutonicæ, novellam plantationem fidei in Terra Pruschia notabiliter deficere per tyrannidem Sventopelci Ducis prædicti, misit ad dictas terras Legatum Wilhelmum quondam Mutinensem Episcopum, qui postea

*Anno Domini MCCXLIII. Innocentius IV. Papa & Fredericus II. regnauerunt. Anno MCCXLV. idem Papa concilium habuit Lugduni, ubi instituit octavas Natiuitatis B. Mariæ Virginis.*

*Itæ*

*Q*

fuit



*Hermannus de Saltza IV. Mag. Generalis. Ord. Teut.  
Poppo de Osterna II. Mag. Provincialis in Prussia.*

fuit Papa Alexander IV. ut dictas terras in (b) Episcopatus quatuor limitaret, & si qua inveniret correctione digna, corrigeret, & in statum debitum reformaret. Qui Legatus scripsit & mandavit auctoritate Apostolica dicto Duci, ut à persecutione fidei & fidelium cessaret: at ille immemor salutis suæ, pertinaci animo induratus, ut lignum tortuosum, quod flecti non potest paternis monitis, quæ verè ex radice caritatis processerant, factus inobediens, magis ac magis convalescebat in malo, & fundebat Christi fideles nunc per terram, nunc per aquam, & simpliciter ubicunqve poterat, alios spoliavit rebus suis, quosdam captivavit, ceteros trucidavit. Videns ergo Legatus quod in ipso Duce signa correctionis non apparerent, nec aliquo modo ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ vellet redire, monitione sufficienti præmissâ, ut crescente contumaciâ meritò cresceret & pœna ad refrænandam dicti tyranni & suorum complicum malitiam, jussit in regnis & provinciis ad hæc deputatis crucem auctoritate Apostolica prædicari, præcipiens cruce signatis, & fratribus domus Teutonicæ, in virtute sanctæ obedientiæ, ac in remissione peccaminum injungens, ut fidem Christi & fidelium Ecclesiæ in Pruschia partibus collectam à tam crudeli & injustâ dicti Ducis persecutione pro viribus suis à modo defenserent.

#### ANIMADVERSIONES.

AD CAP. XXXIII.

- (a) Vid supra Notas ad part. I. Cap. V. Lit. B. ubi diximus secundum alios Scriptores hanc legationem esse missam. Conrado Landgr. Hass. Mag. Generali Prussiam administrante.
- (b) Prussiam hic legimus in quatuor Episcopatus fuisse divisam, etiamsi non-

*Item S. Emundum Cantuariensem Archiepiscopum, Sanctum Stanislaum Episcopum Cracoviensem ab insqvo Principe interfectum. Et S. Petrum Martyrem Ordinis Prædicatorum canonizavit.*

*Anno MCC XLV. electus fuit Landgravius Thuringia in Regem Romanorum.*



*Hermannus de Salza IV. Magister General. Ord. Teut.*

*Poppo de Osterna II. Mag. Prov. in Prussia.*

nondum tota Prussia fuit Ordini subiecta, quod etiam ex bullis Pontificum hac de re scriptis apparet; Primus Episcoporum fuit CULMENSIS, qui jam antea fuerat Episcopus Prussiae constitutus, adeo ut hic tantum in Episcopatu Culmensi confirmatus esse videatur, sedem hic habet Lubaniae. Secundus POMESANIENSIS, qui sedem suam habuit Risenburgi, Ecclesiam autem Cathedrali in urbe Mariae Infulana. Tertius WARMIENSIS cuius sedes olim fuit Brunsberga; hodie autem est Heilsberga. Praecedit hodie Culmensi. Quartus SAMBIENSIS, qui sedem habuit in oppido Fischhausen / usque ad Georgium a Polenz Episcopum Sambiensem, qui sub Alberto Seniore, primo Duce Prussiae, ejurata Religione Pontificia, Balam concessit. Sublati vero sunt deinde Sambienfis & Pomesaniensis Episcopatus. Sunt autem adhuc loca quaedam in Prussia quae ad Dioecesin quinti Episcopi nempe CUJAVIENSIS sive POMERANICI pertinent, ut Gedanium aliaque ad Pomerelliam olim pertinentia. Vid. Grunovv *Tract. IX. fol. 194. b.* Ex quatuor illis Episcopis, Culmensis, Pomesaniensisque & Sambienfis successu temporis, suscepta Veste & Regula Ordinis Teutonici, jugum Cruciferorum subierunt. Memorant id disertis Verbis de Episcopo Culmensi Miechovius & Cromerus, quod Ecclesiam suam, quam prius in Regularium Canonicorum S. Augustini Regulam transtulerat, postea in Cruciferorum Ordinem ad instantiam Magistri & Ordinis transmutavit, consentiente Legato Pontificio. *Vid. Matth. a Michavv lib. III. c. LVI. ad an. 1264. Cromer. lib. XI. Pag. 575.* Ex Episcopis Sambienfis Siffridus Episcopus Sambienf. III. cum Capitulo suo ordinis Regulam suscepit, *Vid. Henneb. in Comment. ad Tab. Geogr. pag. 131. Simon Grunovv tract. IX. Episcopatum vero Varmiensem nunquam Ordinis imperium agnovisse scribit Cromerus lib. 2. Descript. Polon. pag. 220.* Quanta bona Episcopis Prussicis sint attributa, expressum est in bulla Innocentii IV. Pontificis & Gvilhelmi Mutinensis Episcopi legati Pontificii. Dubio vero non caret, quo tempore Episcopi Prussici Archi Episcopo Rigenfi, ut Metropolitano suo, fuerint subiecti. Factum id esse in ipsa con-



*Hermannus de Saltza IV. Magister Gen. Ord. Teutonici.  
Poppo de Osterna II. Magister in Prussia Provincialis.*

junctione Ordinis Ensisiferorum (in Livonia) cum Ordine Teutonico (in Prussia, habitantium) sunt, qui affirmant. Eâ enim lege Fratres Ensisiferorum Cruciferis Ordinis Teutonicorum se subiecisse feruntur, ut vicissim Episcopi Prussici subessent Archiepiscopo Rigensi. *Vid. Franc. Menenius in Delic. Equestris. p. 107.* Sed cum Rigenses eo tempore tantum habuerint Episcopum, nec nisi circa annum 1255. demum adeptus sit Archiepiscopalem dignitatem Albertus II. Episcopus Rigensis, ut Balth. Russow in *Chron. Livan. part. I. fol. 21. b.* tradit, sententia ea probari non potest. Martinus Cromerus autem de Præmislo Rege, qui An. 1295. in Regem Polonorum electus est, agens, dicit, Culmensis Episcopum à Cruciferis prius in ordinem redactum; tunc autem (nempe tempore Præmisli) ut nihil Cruciferi commune cum Polonis haberent, à Gnesnensi Archiepiscopo abstractum Rigensique subiectum esse *lib. XI. de Ort. & Reb. Gest. Polon. pag. 575.* Nostrâ sententiâ eodem tempore Varmiensis Culmensis, Pomesaniensis, & Sambiensis Episcopi fuerunt Archiepiscopo Rigensi subiecti, quamvis tempus determinari vix queat. *Vid. Th. Treterus in Vita Job. I. Episcopi Varm.* Notandum verò & illud est, quod Grunovius refert, Conradum Zölnerum Mag. Gener. Privilegium obtinuisse, ut Episcopi Prussici Archiepiscopo Rigensi subessent. *Vid. Grunov. Tract. IX. fol. 130. a.*

## CAP. XXXIV.

De

### *Vastatione Partium Inferorum Prussia.*

**H**is itaque sic peractis Sventopelcus Dei timore postposito addens mala pejora prioribus, Vitium persecutionis, quod ante quasi occultum fuit, in publicam formam redegit. Ordinavit enim quod Neophyti qui de facili in errores pristinos relabun-